

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

*PRO GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER FRASER, A.M. *SCOTUS,*

Nuper VIRGINIA degens;

SOC. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR.

ET PRÆSES ANNUUS;

NEC NON

SOC. SPEC. PETROP. VIRGIN. SOC.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

---

---

Principiis obsta, fero medicina paratur,  
Cum mala per longas convalere moras.—OVID.

---

---

EDINBURGI:

*EXCUDEBANT G. STEWART ET SOCII,*

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

---

M DCC XCIX.

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

VIRO EGREGIO

JACOBO SKELTON GILLIAM, M. D.

SPECTATISSIMO AMICO SUO;

QUI DIU ET SCIENTIA MEDICA

QUA FAMAM MAXIMAM SIBI PEPERIT,

ET CÆTERIS BENEFICIIS

QUÆ SEMPER CONFERRE GAUDET,

DE CIVIBUS SUIS OPTIME MERITUS EST,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMA OBSERVANTIA,

QUAM IN TALEM VIRUM,

SEMPER FOVERE JUVABIT,

SACRAM ESSE VOLUIT,

ALEX. FRASER.



AMICIS SUIS SPECTATISSIMIS,

JOANNI BELL,

DUNCANO ROSE,

THOMÆ DENT,

&

BERNARDO M'ANNALLY,

ARMIGERIS ;

QUI AMICITIAE STABILIS

ET BENIGNI FAVORIS

MULTIS INDICIIS, INSIGNI MODO,

DIU EUM HONORATI SUNT ;

HOC TENTAMEN INAUGURALE,

AMORIS SINCERI,

ET OMNIA FELICIA PRECANTIS

TESTIMONIUM PARVUM,

ANIMO OBSERVANTISSIMO,

DICAT ET CONSECRAT,

ALEX. FRASER.





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

---

---

ALEXANDRO FRASER AUCTORE.

---

---

HIC morbus diu funestissimus Britanniae incolis meritò habitus est. Numerum victimarum ingentem in hac et proxima Hiberniae insula, quotannis necat, nec ullius ferè alius morbi devastatione, tot homines singulis annis moriuntur, ac hujus mali faevitiâ cadunt. Plerique scriptorum qui exitii tanti causas excutere conati sunt, phthiseos frequentiam a situ insulari nostro, a coelo humido frigidoque, sed prae-

A

fertim

fertim crebris mutationibus obnoxio, oriri docent; et haec morbi generationi multùm conferre nemo inficias ibit.

In civitatibus confaederatis Americanis, ubi vere praesertim, et initio aetatis, magnae et frequentes fieri solent temporum mutationes, quàmvis coelum multùm a Britannico discrepat, phthisis pulmonum minimè rarè occurrit. Hoc etiam in civitatibus ad meridiem sitis accidere solet, ut mihi, propriis oculis in Virginiâ, saepius vidisse contigit. Nec temporum mutationes caelo Americano propriae, nec populi vitae ratio, quae à nostrâ plerumque parum differt, causas aequas, quae animo satisfaciant praebere videntur, cur morbus illis regionibus tam frequens occurrat. Admodum verisimile videtur proclivitatem in hunc morbum, a majoribus suis ex hac insula qui demigraverant, Americanos accepisse; et Phthisin cum in hâc tum in illâ gente à parentibus derivari.

Vix ferè ullus alius morbus magis ingenia et conatus fummos medicorum movit; paucisive ad opiniones varias, sive tractandi modòs

diversos

diversos spectemus, tot sententias, ne dicam lites, peperit. Nostris temporibus jam viri ingeniosissimi, plurimis, sed heu! penè effusis laboribus, naturam morbi diligenter indagaverunt, ut eà ritè perspectà curae fundamenta altiùs et firmiùs ponerentur. In paginis sequentibus, has opiniones tantùm, attingere in animo est, quae latissimè habitae sunt; et observatione experièntiàque maximè probari videntur.

### CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Morbi causam esse frequentissimam à parentibus soboli labem demissam et feminium quasi stirpe latens, experientia docet. Illos quorum corporis habitus, e temperamento sanguineo, vel sanguineo cum phlegmatico juncto, constituitur, quibus sensus justo acutior est, et facies tenella pulchraque, unà cum venis coeruleis majusculis, maximè in hunc morbum proclives esse constat. Cum medici scrofulosos signa ista saepissimè habere animadvertissent, et phthisi pulmonali saepè corripì, opinio inter plurimos orta est, eos om-

nes in phthifin aliquatenus vergere. Haec fuit opinio Culleni illustriffimi, et Gregorii fuccef- foris ejus. Neque alia videtur effe ratio, cur ftirpes et gentes totae hoc malo extinâtae fue- rint. Potest ut aliquis a contagio talia eveniffe dicat; nemo autem, phthifin contagio generari argumentis vel obfervationibus fide certiffimâ dignis adhuc docuit.

Corporis deformitas vim fanguinîs nimiam in pulmones cogendo morbum faepe induxit. Pec- tus anguftum, humeri prominentes et elati, cof- tae compreffae, et collum longum, proclivitatem ad phthifin faepè oftendunt.

Quibusdam in vitae temporibus prae aliis hoc morbo homines corripuntur, a pubertatis initio praefertim ad annum aetatis trigefimum quin- tum. Nonnulli antequam pubertatis tempus at- tigiffent, multi autem, poft annum trigefimum quintum exactum, hoc malo confecti funt.

Sexum fequiorem maribus violentiùs premit. Corporum debilitas et laxior compages, an vita fedentaria plus huic conferat, certè ambo ali- quid, haud facile dictu est.

CAUSAE

## CAUSAE EXCITANTES.

Inter plurimas tabem pulmonalem concitantes praecipuae sunt eae, quas Cullenus enumeravit, et quas morbum inferre auctorum plerique consentiunt, scilicet Haemoptysis, pulmonum suppuratio à peripneumoniâ orta, Catarrhus, Asthma et Tubercula.

Medicos opinio vulgaris pervasisse videtur, haemorrhagiâ pulmonum accidente phthisin plerumque sequi. In numero exemplorum maximo tamen hoc non accidit. Phthisin ab haemoptysi non necessariò oriri, haec postrema saepe inducâ ab aliquâ evacuatione solitâ suppressâ, ut a fluxu menstruo, vel haemorrhoidali cohibitis, a crure amputato, aut vi externâ, sed ulcus nullum generans, testatur. Exempla plurima citare licet pulmonibus ubi glande vel ense perfossis tabes haud supervenerit. Hinc, quotiescunque haemoptysis tabe finiêrit, proclivitatem quandam in hunc morbum priùs adfuisse, quibusdam placuit. Si autem tubercula in pul-  
mone

mone antea fuerint, sanguinis congestionem, nec non vaforum dilatationem, efficere possunt, unde disruptio et fluxus eveniant; haec utique effecta non causae phthiseos revera sunt. Fatendum quidem est pulmones ulceribus affectos fuisse, sanguinis profusione antecedenti, nec ullâ in phthisin proclivitate prius animadversâ; sed cur in quibusdam exemplis ac non in omnibus hoc accideret, parum constat. Haemorrhagiae frequentes forsan, pulmones tantum debilitare valent, ut vasa absorbentia muneribus fungi amplius nequeant, unde sanguis in cellis bronchiorum effusus et stagnans, partes proximas tam validè afficiat, ut ulcus insanabile gignatur.

Suppuratio et ulcera pulmonis, post Pneumoniâ, phthisin efficere possunt; hoc autem, sicut illud proximè memoratum, rarè evenit; eademque causâ forsan ambo nituntur.

Catarrhus quoque phthiseos causa excitans diu habitus est. Cullenus tamen, et multi alii viri clarissimi, hoc vix unquam ita sese habere putant, nisi prius tubercula pulmonibus infederint. Multa tuberculorum exempla vera catarrho fal-

si adscribi nullus dubito; sed haud improbabile videtur, crebras et diuturnas destillationis accessiones, pulmonum viribus attritis, et sanguine in iis congesto, ubi nulla proclivitas in phthisin antecedit, tubercula ipsa nonnunquam creare posse.

Asthma inter causas excitantes vulgò annumeratum est. In tabem pulmonalem id saepe definere Cullenus et multi alii testati sunt; finem autem talem plerumque habere observatio quotidiana, longè plurimis exemplis fulta, omninò negat. Asthmate spasmodico in multos annos haud pauci laboraverunt, et eodem malo in aetate provecrà confecti sunt, nullis phthisicos indiciis sese monstrantibus. Ratione ergo probà credimus, quotiescunque Asthma in phthisin defierit, aliquid proclivitatis in hunc morbum priùs subfuisse.

*Tubercula*, sine dubio, ab omnibus morbi origo longè frequentissima habita sunt. Pulmones serofulorum tuberculis plerumque affici Cullenus docuit, et parentibus serofulà contaminatis genitos prae aliis phthisi obnoxios esse. Eandem

dem ferè opinionem, quod ad morborum affinitatem duorum successor tenet; phthifinque malis scrofulosis in exemplis plerisque annumerandam esse opinatur; et multi alii medici celeberrimi in hanc sententiam iverunt. Majorem exemplorum numerum, in hac regione, huic opinioni convenire credo. Non tamen desunt clari viri, ut Reid, et Rush medicus Americanus, qui nihil cognatum inter tabem pulmonalem et scrofulam asserunt. Prior horum frigoris effectui in pulmonum vasa exhalantia morbum imputat, et opinionem vulgò receptam talibus refellere conatur. “ That people with a  
“ scrophulous habit of body, or with their  
“ glands swelled or indurated, may have at  
“ the same time a pulmonary consumption,  
“ does no more prove the disease to be scro-  
“ phulous, than it would be proved cancer-  
“ ous, should the patient be affected with that  
“ dreadful malady.” In aliâ dissertationis ejus parte ita arguit: “ That as scrophula is a glan-  
“ dular complaint, and no lymphatic glands  
“ have as yet been discovered in the substance  
“ of



“ of the lungs, that such glands do not exist,  
“ and therefore, that tubercles of the lungs  
“ have no connection with scrophula.”\* Haec  
autem ratiocinatio prope irrita, et sine ictu ca-  
dit, plus ponderis habitura si scrofulam phthisi  
rarissimè praecire auctor ingeniosus demonstrâs-  
set. Convenientia et similitudo maxima inter  
tubercula pulmonum et tumores scrofulosos in  
aliis corporis partibus, phthisin huic morbo ar-  
ctè cognatam esse, apud medicos fidem fecit.  
Infantes scrofulae praematuras victimas eodem  
tempore tabe pulmonali frequenter affici con-  
spexerunt; et cum ulcera et tumores scrofulosi  
annis provectoribus fortè corpore ab externo  
decessissent, saepè tabem pulmonalem succede-  
re. Similitudinem et analogiam maximam in-  
ter duos morbos existentem Gregorius illustris,  
in dissertatione suâ inaugurali, tam optimè de-  
pingit, ut verba ejus ipsa hîc loci apponam;  
eòque libentiùs quòd opinionem annis juniori-  
bus conceptam experienciâ ejus magnâ et ma-

B

turâ

\* See Reid's Essay on Phthisis Pulmonalis.

turâ fancitam inveniam. “ Praeterea magna  
 “ certè fimilitudo et analogia est inter tuber-  
 “ cula et ulcera phthifica in pulmonibus, et  
 “ tumores abscessusque scrophulosos in caeteris  
 “ corporis partibus. Eandem speciem exter-  
 “ nam, et si cultro inciduntur internam ha-  
 “ bent, eandem spiffitatem et duritiem; eo-  
 “ dem modo à parvo initio ad molèm saepè  
 “ magnam paulatim crescunt, et plerumque fi-  
 “ ne magno dolore aut molestiâ; tardè et ae-  
 “ grè suppurant, et nunquam in suppuratio-  
 “ nem benignam abeunt, sed ulcera foeda et  
 “ vix sanabilia relinquunt. Eodem anni tem-  
 “ pore ambo se ostendunt, hiemali scilicet aut  
 “ verno; accedente aestate levantur aut diffi-  
 “ pantur; at reverso hieme ambo saepe rede-  
 “ unt. Denique in sectionibus cadaverum eo-  
 “ rum quos scrophula planè occidit, tumores  
 “ scrophulosos in omnibus corporis partibus,  
 “ et tubercula in pulmonibus ejusdem speciei  
 “ haud rarò reperiuntur.”

Similitudo ergo maxima inter duos morbos  
 extat, et observationibus hodie satis probari vide-

tur mala ista plerumque aliquomodò conjungi; medicisque meâ sententiâ jure concludere licet, non exemplum phthiseos unumquodque a scrofulâ oriri, sed talem corporis habitum malo maximè favere, et profectò id ipsum longè sæpius producere.

Rationes satis probas adducere, quo tandem modo dispositio scrofulosa tubercula concitare possit, opus arduum et difficile videtur. Hoc eò magis quod vir\*, in re anatomicâ clarissimus, pulmonibus glandulas lymphaticas inesse negaverit. Tumores tamen quia scrofulosi in corporis partibus apparent, ubi glandulas lymphaticas nemo adhuc demonstrârit, eò haud improbabile videtur acrimoniam totum corpus pervadentem in scrofulosis tubercula generare posse. Hominum in pulmonibus qui hoc malo mortui sunt, tubercula magnitudine variâ, non solùm bronchiorum cellas occupantia, sed etiam pulmonibus, quasi pars quaedam, vasorum sanguiferorum furculis in ea ubique emissis, coalita et connexa inveniuntur.

B 2

Talem

\* Cel. Munro in praelectionibus.

Talem eorum ortum anatomicus ille celeberrimus supra memoratus ita exponit : Vasis ex innumeris materiam pulmonum undequaque percurrentibus, quaedam tam minuta esse, sanguinis uti particulas rubras omninò excludant, et tenuiores tantùm ejus partes sine colore admittant, opinatur. Si fortè ergo sanguinis copia major, ex causâ aliquâ in pulmões congeratur, quàm vasa eorum facilè transferre valeant, arteriae parvulae istae aut rumpi, aut ita obstrui possunt, ut lymphâ plurima effundatur, vel in parte unâ colligatur. Partes *fluidi* tenuiores paulatim absorbentur ; spissiores et quae faciliùs coagulant sensim concresecunt ; pulmonibus à vasis proximis connectuntur, et in corporis vivi naturam brevi coalescunt.

*Variolae, rubeolae, scorbutus, lues venerea,* inter causas phthisin moventes recensentur. Fieri potest, neque à vero abludit. Semper autem labes scrofulosa latens et ingenita in talibus suspicanda est.

Calcis materia in pulmonibus formata, interdum phthisin inducit ; hujus exempla quaedam

a Culleno

a Culleno notata sunt. Opifices pulveri expofiti, molendarii, putà, lini carminatores, lapicidae, morbo huic obnoxiores feruntur. Opinio tamen, hâc regione faltem, haud nimis benè fundata videtur.

Phthifeos igitur caufas excitantes, fermone longiori profecutus, caufam demùm proximam adjicere reftat. Tuberculorum inflammationem vel fuppurationem eam eſſe puto, ulcerave origine quâlibet in pulmonibus genita, aut concitata. Objicitur, multos quorum pulmones nulla tubercula, ulcerave nulla inſpicienti monſtrarent, Phthifi mortuos eſſe. Si talia unquam inveniantur, pro exemplis phthifeos genuinis non habeo, cujus vel nomen ipſum materiae pulmonalis marcorem indicat.

## HISTORIA.

Phthiſis pulmonalis a Culleno celeberrimo fic definitur,

“ Corporis emaciatio et debilitas, cum tuſſi,

“ febre

“ febre hecticâ, et plerumque expectoratione  
 “ purulenta \*.”

Gradus tres insigniores de hujus morbi decursu plerique scriptorum differentes statuunt. Hos quanquam progressus liquidò discriminare haud omne exemplum permittit, signa tamen varia, orientia aut gravescentia, prout singulis gradibus occurrunt, ritè enumerare operae pretium erit. Primum ab *inflammatione* nomen sibi afferentem, tussicula sicca, levis, vellicans, haud catarrhum illi comitanti dissimilis denotat. Huic citiùs vel feriùs superveniunt dolores leves, et pectoris laterumve nunc vagi nunc magis fixi et acuti; et dorfi et lumborum dolores cum horroribus levibus et postea calore febrili. Aeger languidus et iners evadit. Tussis quotidie violentiâ crescit, diu tamen sicca; et thoracis dolores interea augentur; facies pallet; totum corpus marcescit; laboriosè et difficulter aegrotans anhelat. Pulsus arteriarum citati et duri, interdum

\* Cullen. Synop. Nosolog. Method. T. ii. Gin. 37. et seqq.

dum pleni sunt ; lingua albida ; oculi visu hebetes ; facies pallida, et aegritudine marcida fiunt. Cibi appetitus imminuitur, alimentique capti regerendi proclivitas frequens est. His indiciis (plurima quorum catarrhum vulgarem stipare possunt) si febris vespertina, corporis emaciatio, inspirandoque sonus sibilans, insuper accedunt, tuberculis pulmones obsessos esse coarguunt.

In medio decursûs gradu, morbus clariùs adolescit, et omnia signa graviora fiunt. Febriculae impetus gravius adoriuntur ; pulsus mane vespereque crebrior fit, exacerbationibusque tandem plenè perfectis *hectica* regularis decurrere incipit. Ex binis accessionibus febris hectica constat, una quarum circa meridiem accidit, obscurior tamen, nisi cibum exercitationemve, aegrotus jam antea ceperit. Accessio altera, clarior plerumque et fortior horam circiter quintam sextamve post meridiem languore et debilitate, frigore citò evanescente, et horrore quodam comitata ingruit. Hæc omnia, calor supra consuetudinem, totumque corpus amplectens, brevi excipit : nec abire consuevit, donec noctis jam plus  
dimidio

dimidio exacto, sudores profluant et impetum febrilem dirimant. Pectus, brachia, facies, præ aliis corporis partibus, magis sudant. Tali cursu hæc febris plerumque pergit; interdum tamen exacerbationes nullas discernere licet. Brevi post febris accessionem colore rufo urina tingitur, sedimentumque lateritium furfuraceum deponit. Sitis vix tùm molestè premit. Expectoratio priùs incepta auctior fit, matutinoque tempore præcipuè, pure flavo, viridi, vel cineritio, interdum foetido, gustuique ingrato miscetur: jamque malum, heu nimis verè! *confirmatum* appellare licet.

Morbo citatiùs pedem proferente, facies corpusque totum marcescunt defluuntque; oculi in orbibus subfidunt, maculam rubram circumscriptam, caetero ore pallente, genae ostendunt. Menstrua hoc tempore in feminis plerumque cessant. Appetitus etiam *nunc* haud omninò prostermitur; imò præter naturam interdum urget. Alvus quoque plerumque adstricta est, præsertim post sudores matutinos. Tertius morbi gradus ab alvi solutione incipit, qui tandem

in



in diarrhoeam perpetuam definit, omne quicquid in ventriculum immittitur, ex intestinis statim dejectionem. Febris calor, et sudores matutini, jam aliquid decrefcunt; fed tuffis etiamdum manet. Lingua pura apparet; interdum *aphthis* obfidetur. Pili quoque a corpore decidunt; ungues incurvantur; crura media et ima admodum turgent, dum caetera macie fqualent. Mens, quae haftenus integra fuit, tandem delirio afficitur aliquandiu ante mortem, quae fola tot miferiis finem imponit.

Signa jam memorata nec in omni aegro, nec ordine eodem quem fupra explicavimus, femper feffe offerunt. Quofdam in tumulum curfu praecipiti malum infidiosum abripit; alios a fex menfibus in aliquot annos, per intervalla, lentiùs nec incertiùs depafcit.

### DIAGNOSIS.

Cùm figna phthifin incipientem comitantia, unà cum expectoratione, catarrhum vulgarem frequentiùs ftipare foleant, maximi intererit, difcrimen quàm accuratiffimum inter duos morbos, noviffe. Mucus in catarrho è pectore ex-

putus, plerumque pellucet, leviorque aquâ, si immittas, supernatat. Pus contrâ, densum et gravius in aquam demissum brevi defidit. Regula autem haecce utentem fallere periclitatur; si quidem mucus, casu aliquo, opacus densusque fiat; aut pus aëre sufflatum et muco commistum sit; ille demergi potest, dum hoc in aquâ supernatat. Ad pares ferè exitus *Caroli Darvini* experimenta, a medico ingenioso Michaële Ryan rursus ad examen vocata, redierunt. Mucum ab acido sulphurico, pure facilius solvi reperiabant; mucoque soluto, cum aqua adderetur, mucum se dejungere, in summâ vehi, aut in flocculis dispergi, dum puris solutioni eâdem adhibitâ, hoc vel fundum petiit; aut agitatum, æquè per aquam diffusum est, et turbidam reddidit. Sed macies et debilitas hunc morbum ab initio ferè ducentes, indicia certissima mali praesentis praebent. Cum primùm hectica febris confirmata fuerit, expectoratione sudoribusque comitantibus, nullus dubitandi locus manet: si exempla quaedam phthysicos confirmatae interdum occurrentia excipiamus, in quibus puris vel nihil vel pauxillum expectoratur.

QUORUNDAM SYMPTOMATUM  
RATIO.

*Tussicula sicca* morbum incipiens, a tuberculis praesertim inflammatis exindèque irritatis oriri videtur, frigusque eam saepius auget. *Spirandi difficultas, pectorisque dolores* a pulmonum statu inflammato; sanguinis congestione, et tuberculorum obstructione fortassè ortum ducunt. *Maciem* et debilitatem, febris hectica, concoctio depravata, matutinique sudores generant. A pure absorpto *hecticam febrem* auctorum plerique excitari exponunt. Febris haecce et a pure absorpto, et a tuberculorum inflammatorum irritatione provenire videtur. *Diarrhoea* gradum mali supremum infestat: nam sudores, primò fluida per cutem eliciendo, materiae absorptae effectibus ire obviam existimantur. Corpore autem violentiâ morbi tandem attrito, sudores febrisque minuuntur, et omnino evanescunt; acrimonia tum intestinis incidens profluvium excitat. *Cru- rum tumefactio* à debilitate omnimodâ explicare

licet; cùm venae, tùm arteriae solutiores factae, muneribus haud ritè funguntur, et fluida, gravitate propriâ detenta, in corpore imo, ideò remorantur.

### P R O G N O S I S.

De phthifi nihil fausti unquam augurari possumus. Pars longè major eorum, qui hoc malo semel impliciti fuerint, eodem perierunt. Multi quia tamen miro modo a mortis faucibus quasi revocati sunt, de morbi eventu omnino cautè pronunciandum est, nihilque in curae spem adducens intentatum relinquendum. Tubercula parva inflammari; pus effundere, suppurataque sanescere possunt; aegerque demum convalescere. Si febris autem magis saeviat; sudores matutini et diarrhoea profusiores sint, convalescendi exempla tum rara et mirabilia, vix, et ne vix quidem spem fovere sinunt. Ubi labes haereditaria pro certo extiterit, salutis restitutio permanens vix expectanda est. Infaniae accessio nem phthiseos cursum impedivisse constat; in  
mulieribus

mulieribus etiam gravidis, fluidis ad uterum fortasse a pulmonibus derivatis, quae idcirco levatae, ad munera exequenda faciliùs redirent, malum stetisse saepius invenimus; post partum, tamen minimè devictum, gradum corripere, et brevi lethalis evadere solet.

### CURATIO.

Imprimis confitendum est, morbo jam longiùs provento parum valere; in malo verò incipiente haud parum saepe profutura erunt subsidia artis. Et in subsidiis his indicandis, tria sequentia observanda sunt. I. Tubercula obstructionesque amovere, quùm primùm existere cognoverimus. II. Inflammationem et suppurationem impedire. III. Sin suppuratio inceperit, morbusque confirmetur, vires aegrotantis sustinere, et signa prementia mollire.

Indicatum primum ad conficiendum causas excitantes evitare vel tollere necesse est. Has antea memoravimus, et quia morbos inter sese distinctos ferè constituunt, et remedia propria habent,

habent, hîc loci ista enumerare supervacuum foret. Tuberculorum obstructionumque discussio, res longè utilissima, sed fateri piget, longè difficillima est. Haec, omnia quicquid telorum usque habeat ars medica, saepe eluserunt; sperare utcunque licet, seculo, quo omnia ardua tentantur, quo nihil ferè inexploratum ingenia magna relinquunt, medicamina aliqua successu meliori adhibitum iri. Illa quae vulgò admota sunt, de classe *deobstruentium* petuntur. Hydrargyrus tentatus est, fructu minimè aequali, ac in caeterâ obstructionum cohorte; cum labe *syphtiticâ* malum oriri putatur, tum demùm profuturus est. Cicuta, in scrofulae morbo saepius laudata, spes magnas in phthiſeos curatione expletura credebatur; talia autem adhuc minimè praestitit, vi tamen *hebetante* ejus, ad dolores sopiendos utilis esse potest. Herbae hujus et Tussilaginis usum, aliquid bonum auguranti, discipulis suis commendare Culleno mos erat; et *Ryan* medicus eas beneficio temporario sese administrâsse praedicat. *Barytes muriata*, annis proximis, famâ celebri pervulgatur; virtutes ta-

men

men ejus haud adeò manifestae sunt; ventricul-  
lum, et intestina violentiùs movet, cautè in  
phthisi ergo adhibenda est.

Fontes ex *aquis metallicis*, uti vocant, toties in  
hoc morbo petitis et jaçtatis, fidem habent quam,  
credo, non meruerunt. Vitia ventriculi intestino-  
rumque, et *catarrhi* affectiones obstinatas, pro  
phthisi pulmonali falsò habitas, sine dubio sae-  
penuerò levârunt; indeque famam immeritam  
naçtae sunt. Morbo incipiente, vel priusquam  
inflammare, vel suppurare tubercula inceperint,  
exercitatio et coeli regionisque mutatio, ad fon-  
tes tales peregrinationem comitantes, mali pro-  
gressum inhibere possunt.

Reidius supra memoratus in tentamine inge-  
nioso ejus, *emetica* omnibus phthiseos tempori-  
bus, laudibus summis effert; nimis tamen inde-  
finita consilia ejus putârim; morbi, certè in  
gradu primo, talem tractandi modum aliquid  
profuturum credo. Aegrotantibus habitu ro-  
busto, post sanguinem liberè detractum, et in-  
testina cathartico idoneo evacuata, pulveris ipe-  
cacuanhae portiones frequentes, mane etiamque  
vespere,

vespere, si signa postularent, medicus ille prae-  
buit; et hoc modo in menses totos usque per-  
stitit. Exitus felices laudibus persequitur, argu-  
mentorumque serie ingeniosissimâ, *praxin* hancce  
suffulcit. A ventriculi pulmonumque consensu  
arctiore, in obstructionibus levandis vomitoria  
admodum possunt; a priori tamen, si conjicere  
liceat, usus tam frequens, intutus, imò pericu-  
losus videtur. In longis catarrhis, ad tubercula  
impedienda emeticis recurri potest; ad eadem  
discutienda etiam utilia sunt; at si tubercula  
jam inflammentur et suppurare caeperint, eme-  
tica, credo, pluries repetita, vexando, inflamma-  
tionem foverent. Debilitatem arcere quoniam  
summâ ope nitendum est, ab emeticis abstinен-  
dum est, scilicet quorum usus liberior, ventri-  
culi vires atterere possit, et istam omnibus votis,  
omnibus artibus resistendam imbecillitatem lon-  
giùs promovere. Argumenta tamen utcunque  
speciosa sint quae Reidii contra *praxin* adducere  
possumus, experientia et nomen ejus, fidem si-  
bi aliquam asserunt; in malo praesertim tanto,  
quod artis fanaticis, vim omnem tamdiu usque  
jam



jam spernit; ubi spes omnes quanquam levissimas nutrire debemus, et nihil intentatum praetermittere oportet.

Cùm nullum adhuc medicamentum nobis compertum sit, cui tubercula discutiendi virtutes attribuamus, proximum erit, inflammationem suppurationemque eorum impedire. Hoc meliùs fiet, frigus, humorem, et quicquid ad perspirationem obstruendam, aut catarrhum inducendum, conducatur, vitando. Indusium laneum cuti proximum induendum est. Diaeta tenuis esse debet, et ex lacte plerumque, rebusque farinaceis, constare. Si catarrhus supervenerit, sanguis mittendus; regimenque *antiphlogisticum* sedulò observandum est.

His artibus, si autem morbus flecti negaverit; coeli mutatio, suadenda est; malique in hoc stadio, pulmonibus nondum graviùs laesis, nec corporis viribus admodum fractis, multum a coeli mutatione sperare licet. Multùm interest, quam regionem elegeris; nostris in insulis hie mes plerumque faeviores; ver et autumnus frequentissimè variantes, plurimùm phtisicis no-

cere inveniuntur. Menses aestivi, quippe fereniores, signa morbi levare videntur. Regiones ergo coelo sicciore, minimèque temporum mutationibus turbatae, phthisis ubi hominibus rarò infidiatur, ex omnibus aliis maxime praeponenda sunt. Talia praebent Galliae partes meridionales, Italiae quaedam, mare juxta Mediterraneum sitae; Hispania, et insularum *Indicarum Occidentalium* loca altiora. Itinera frequentia, marique navigationes breves, plus aegri refectiōni conferre, quam in ullâ terrarum regione, utcunque blandâ, commoratio medici putant. Cùm languor, taedium, et irritatio sollicita Phthificis maximè incumbant, quicquid animum mulcere, motusque ejus sedare; et spes vitae tam saepè ab aegro misero captatas fovere valeat, in bonum certè inclinat. Itineris gaudia, per rura amœna, inter comites jucundos, miris modis peregrinantem necessariò afficiunt. Intervalla igitur brevìa frequentius facienda sunt; et aliquot dies in locis salubrioribus, ubi copia omnium commodorum adest, et ubi natura bona selectissima sua oculis proponat, morandum

dum est. In navigationibus, multum beneficii a motu aequali et continuo, nec non ab aëre puro particulis salinis imbuto, uti ferunt, derivatur. Munditiei et victûs ratione et curâ habitis, nautas plerumque valetudine meliori, terrâ semper viventibus, frui crediderim. *Reidius* pro theoriâ delectâ suâ navigationis bona vomitioni ascribit, quae plerumque navigantibus contingit. Num vomitio tali modo concitata, magis in salutem faciat, et minus corpori quàm illa arte inducta, noceat, haud investigare me rabor; semel autem *Oceanum Atlanticum* trajeturus sum, faeminâ quâdam in eâdem nave praeficiscente quae phthisi correptam sese putavit. Per totam navigationem nausêa affecta, quotidie fere pluriès evomuit. Vires autem tantum abfuit ut amitteret quòd majores adepta, habitior facta est, valetudineque longè meliori esse videbatur, quam cùm è limine primùm solveramus.

Cum aegros, ut saepe, in regionem blandiorem haud transferre licet, et inflammatio jam antea caepit, auxiliis validissimis, quae adhuc sciamus, strenuè renitendum est. Ex his sanguinis missio

multùm laudatur, usuque modico adhibita, est pretii credo magni. Multis verò quanquam in exemplis non solùm tuta et efficax, sed etiam habitu inflammatorio praevalente necessaria fit; usus tamen sine discrimine nunquam permittendus est, quippe tantam debilitatem inferre periclitans, cui nullis medicamentis resisti possit.

Aetas, vires, morbi progressus in singulis, sanguinis missione optimum modum constituunt. Gradibus in mali provectioribus, ubi ex pulmonibus ulceratis haemoptysis superveniat, caeteris frustra tentatis, sanguinis missione uti saepe cogimur. Venaesectioni verò pro remedio generali habendo a medicis praestantissimis enixè objicitur, quippe quae plethoram augeat, debilitatem inferat, nihilque nisi levamen fugax efficiat. Scriptor e recentioribus (Davidsonius) venaesectionis beneficia, periculo aegri minore, a cathartorum adhibitione et usu liquidorum parciori, saepe obtineri posse affirmat. Et nullus dubito, quin liquidis liberiùs indulgere, muneribus pulmonum officiat, tuberculorumque resolutionem forsan impediat.

Cum alvi durities gradus morbi primos comitetur, intestina mitè laxari debent; et *magnesia* vel *sulphur* huic proposito optimè forsan conducunt. Medici quidam ex hydrargyro varia *parata* exhibent, non ad corpus laxandum, sed sudores matutinos ad compescendos data: haec autem cautè utenda sunt, ne diarrhoeam molestant concitent.

*Vesicatoria, fonticuli, setacea* et olim, et adhuc in phthisi pulmonali, in gradu primo praesertim, usum plurimum adepti sunt. Paucissima tamen opis durantis ab illis collata exempla extant. Morbus, forsan, ubi pneumonià catarrhove inceperit; thoracisque dolores graviter angant, vesicatoria aliquid profutura sunt; pro remedio tamen generali nequaquam proponenda, quippe acriùs molestant, viresque aegrotantis multùm prosternunt.

Victum phthysicorum peritè regere summi interest. Cibum largior et crassior, in hac insulà usitatus, semper ferè aegrotis, et maximè phthysi laborantibus nocet. Gradu incipiente, lacte et farinaceis dietam confectam suprà proposuimus;

mus; et hanc etiam modicam esse oportet. Lactis e generibus variis, quod optimè ventriculo aegri sedeat, semper praefendum est. Lac vaccinum in ventriculo in nimis durum coagulum convertitur; eo comperto, lactis ferum, lac afininum, vel lac butyri suffici possunt. Multas virtutes lac mulierum possidere perhibent; copiam autem idoneam comparare difficile est. Lac caprinum laudibus cumulatissimis effertur; exercitationi tamen, et aëri puro, quae aeger in locis adeundis ubi animal degere gaudet, accipiat, plus tribuere velim. Stadiis in morbi posterioribus, cum pus liberè expectoratur, victum haud adeo tenuem ac suprâ definitum, aegrotanti indulgere potes; carnem concoctu facillimam, vel *conchyliâ* cautè permittere licet. Nimia cibi indulgentia signa augebit, exitumque infelicem festinabit. Si appetitus acrior fit, quod saepissimè accidit, cibus frequentior sed copiâ parvâ, capiendus; potusque manu parcâ administrandus est.

Viribus aegri haud admodum fractis, ambulat, equitet. Ambulatio in locis quàm maximè  
aequis

aequis peragenda ; nunquam ad sudores movendos fatigationemve duret. Equitatio a Sydenhamio, aliisque nimis laudata inter medicos recentiores, nec immeritò, in usu est. In corporibus tenerrimis, vires ubi admodum devictae, in curru exercitatio, vel in fellâ pensili motus magis expediant. Vires tamen ubicunque competentes restant, equitatio sub coelo sereno longè utilior ; nunquam verò ad fatigandum usque persequenda est.

Vires ad sustinendas hecticamque fugandam *tonica*, cinchonam praesertim, medici plurimi adhibent. Ryan ingeniosus corticem cinchonae, victumque magis nutrientem illam phthiseos speciem a scrofulâ ortus ducentem, postulare opinatur. Corticem in scrofulâ adhibitum necnon mari lavationem omnes nôrunt ; quis autem mari phthificos lavare jussit ? Medici clarissimi, experientiâ maximâ et longissimâ docti, fructos nullos permanentes a corticis usu hoc malo percipi confessi sunt ; contrà, inflammationem ab eo foveri ; et manifestiores, cum in febrim et signa  
alia,

alia, effectus edidisset, eadem brevi tempore redidisse, et impetu funestiori aegrum confecisse.

Stadium ubi supremum morbus attigerit, signa praecipua et gravissima; sudores colliquativos, tussim, et diarrhoeam mitigare summâ ope, nitendum est. Sudores matutini ab *acido nitrico* vel *sulphurico* ritè dilutis diminui possunt. Cum tussis faevit, somnum abripit, aegrum violenter atterit, omni modo eam lenire oportet.

*Glycyrrhizae extractum*, aut quae melius respondent *opium* et *anodyna*, alvi constrictione, quam haec inferunt, laxantibus praecautâ, hoc rectius efficiunt. Si diarrhoea superveniat, medicamentis astringentibus, et opiatis coerceri potest. Rheum, caeteraque, in diarrhoea vulgari, cathartica usitata, summo periculo in illâ *hecticam* comitante adhiberi Cullenus pronunciat.

Ultimam priusquam dissertationi manum imponam, aërum arte confectorum in hoc morbo faciendo usum recentissimum leviter attingere, sint qui fortè me expectant. Beddoes medicus, qui primus intulit, theoriam, credo, deseruit, cui nixa consuetudo increbuit. Medicos verò inter pneumaticos



maticos usus invalere perguit, plus tamen novitate quam virtute salutari nobis adhuc notus. Exemplum quaedam Beddoes nuper edidit, aëres quibus tales solatium remediumve efficisse perhibentur. Ex his hydrocarbonium, uti vocant, in phthisi valere videtur. Signorum multorum levamen subitaneum praebere fertur; febrim mitigat; flatum corporis irritabilem minuit; somnum fovet; expectorationique detrahit. Multum tamen aegri vires haurit; debilitateque multa laborantibus non administrari debet. Pars una aëris hujus, partibus viginti aut triginta aëris communis commista primùm dari; et postea, pro effectis augeri minuique potest.

F I N I S.

CORRIGENDUM.

P. 21. l. 6. pro *lethalis*, lege *lethale*.